

## II.

# LATINA POESIS POETICÆ EPIGRAMMATA.

## I.

Poesis vana & sana.

**Q**uisquis amans recti, geminam discerne  
poësin;  
Et vanæ & sanæ nomina bina gerit.  
Nec prodesse volunt, nec delectare poëtæ;  
Carmina quos stolide scribere vana juvat!  
Et prodesse volunt & delectare poëtæ,  
Carmina quos solide scribere sana juvat!

## II.

Poesis mendax & verax.

**S**unt, qui vaniloqui, mendaci carmine, falsa,  
Sunt, qui non ficto carmine vera canunt.  
Quidlibet audendi si vatibus æqua potestas,  
Laudem hæc anne parem bina poësis ha-  
bet?  
Qui sapit, hanc laudat; laudat, qui desipit,  
illam;  
Hæc multum meruit laudis, at illa parum!

## III.

## III.

## Injustus poësis contemptus.

**F**Rivola quis numeret stolidæ convitia  
linguæ,

Insonti vatum perpetienda gregi?

Inveterata sonat coeci vox improba vulgi:

**C**ede, poëtarum, cede, proterva cohors!

Sperne hos latratus, multum generosa poësis,

Sperne infestorum scommata fœda canum!

## IV.

## Justissimum poësis elogium.

**Q**uis renuat larga dignari laude poësin,

Quæ decus antiquæ nobilitatis habet?

Pluscula laudandam commendant signa

poësin,

Verboso nimium vix memoranda metro.

Tersius arte nihil metrica, vel Zoilus inquit;

Momus ait: metrica, suavius arte nihil!

## V.

## Poësis Oratoria pulchrior.

**V**irginibus pulchris major pulchredine  
virgo

Nonne & majoris laudis honore nitet?

Gram-

Grammata sic placeant verbis concepta solutis;

Digna oratorum dictio laude sua;  
Pulchrior excellit numeris adstricta poësis;  
Euge! poëtarum gloria summa viget!

## VI.

## Poësis divinum donum.

**D**ivini titulum doni meruisse poësin,  
Affirmat sapiens, insapiensque negat.  
Rodere quisquis amas divinam, Mome,  
poësin,

Divini rosor muneris anne sapis?  
**I**n nunc & diam, blaterator, carpe poësin,  
Perversæ mentis proditor ipse tuæ!

## VII.

## Poësis sanctæ afflatus.

**E**st DEUS, in sanctis agitante calentibus illo

Vatibus; afflatum Biblia nonne docent?  
Sic cecinere acti divino numine vates;

Sic cecinit Psaltes, lauriger ille facer!

Tanta licet nostros non concitet aura poëtas,

Attamen afflatu sancta poësis ovat!



## VIII.

## VIII.

Poesis amabilis iconismus.

**C**Armina quæ condit, rerum studioſa  
poëſis,

Neu versus steriles fundat inane melos;  
Carmina quæ verbis condire & condita novit,  
Augeat ut rerum comta loquela decus,  
Hanc, hanc qui nullo dignatur amore poëſin,  
Nil rationis habens nilque saporis habet!

## IX.

Poesis (Biblica) mellea.

**F**loriferis ut apes, in saltibus omnia libant  
Nectareos cellis ædificantque favos,  
Coelica sic gnavi decerpunt verba poëtæ,  
Per sanctum effusi floriferumque nemus.  
Delibans Librum librorum hæc sancta poëſis  
O quantum mellis sanctificantis habet!

## X.

Poesis (Epigrammatica) aurea.

**R**Es paucis multas complexa rotunda  
poëſis

Nonne hæc verbosis anteferenda modis?  
Digna vigent tanta nervosa Epigrammata  
laude,

Plurima quæ paucis abbreviata canunt.

Au-

Aurea, parva licet, præstat pretiosa moneta;  
Aurea sic merito carmina curta placent!

## XI.

## Poesis melica dispar.

**S**Anctos sancta juvant; magnalia psallere  
JOVÆ.

Devotis hymnis, sancta poësis amat.  
In res humanas directa profana poësis  
Innocuum prudens cantat & illa melos.  
Perversi at vates, procul hinc, procul ite,  
profani,  
Impia quos metrice fundere verba juvat!

## XII.

## Poesis votivæ decus.

**Q**Uæ pia devoto profundit carmine vota,  
In verbis ipsis, & pietatis amans,  
Quæque DEO soli votorum munera libat,  
Utilis unde boni gargara cuncta fluunt,  
Hanc, hanc & DOMINUS dignatur amore  
poësin,  
Insimul hanc hominum pectora sancta  
colunt!

## XIII.

## Poesis votivæ pondus.

**P**ondus inest precibus devoto pectora fusis,  
Quis neget, & votis pondus inesse piis?

Voce rogante DEUM si flecti credimus, idem  
 Flectitur & voti voce voente DEUS.  
 Sunt & vota preces, ardor quas poscit amoris  
 Ipsaque quas pietas officiosa jubet!

## XIV.

## Poësis plaudentis idea.

**P**Laudit amore pio flagrans jucunda poësis,  
 Si qua pios plausus tempora fausta jubent.  
 Si pia festivos edit devotio plausus,  
 Quis sanctum spernat relligionis opus?  
**L**ætitiam socii si candor adauget amoris,  
 Ecquis & innocuum spernat amoris opus?

## XV.

## Poësis plangentis idea.

**P**Langit amore pio fervescens mœsta poësis,  
 Si qua pios planctus tempora mœsta  
 jubent.  
 Si pia lugubres edit devotio planctus,  
 Quis sanctum spernat relligionis opus?  
**M**œstitudinem socii si candor lenit amoris,  
 Ecquis & innocuum spernat amoris opus?

## XVI.

## Poësis ludentis idea.

**L**udit & innocuis salibus festiva poësis;  
 Ecquid ridendo dicere vera vetat?

AII

Ast absit, nimios fudisse poëmate lusus  
 Et salis expertes accumulasse sales!  
 Et, sale, conservant & perdunt fercla sapo-  
 rem;  
 Non nisi prudenter carmina falsa placent!

## XVII.

## Poesis jocantis cautela.

FUndere sueta jocos impune jocosa poësis,  
 Fundatne amentes, qui sine lege, jocos?  
 Fundere sueta jocos impune jocosa poësis  
 Fundatne & nimios, qui sine fine,  
 jocos?

Absit utrumque nefas! Fundat festiva poësis  
 Nec sine lege jocos, nec sine fine jocos!

## XVIII.

## Poesis encomiaisticæ modus.

QUæ nimiis laudat modice laudanda poësis  
 Laudibus, an multum laudis & ipsa  
 meret?  
 Laudis habet minimum sic laude poësis  
 abundans,

Nec servans medium, nec probitatis amans!  
 Absint immodicæ præconia turgida lau-  
 dis!

Absit fucatae mentis inanis honos!

## XIX.

## Poesis satyricæ apologia.

PERversos hominum mores & pectora cœca,  
Quicquid & insulsum lingua proterva  
 crepat,  
 Carmine perstringens salso facunda poësis,  
 Dic mihi, culpandi criminis ecquid habet?  
 Immundi mundi mundo describere versu-  
 Spurcitem, mundis sordidus estne labor?

## XX.

## Poesis nuptialis antiquitas.

PRævia quis Veterum vestigia lambere  
 nolit,  
 Carmine quæ nuptis fausta vovere docent?  
 Tempora si ritum commendant prisca vo-  
 vendi

Absit, ut hoc fugiant tempora nostra decus!  
 Antiquum sapiens hunc ausus tollere ritum  
 Næ! sapiens nimium despiensque sapit!

## XXI.

## Poesis exequialis utilitas.

QUIS digno laudis defunctorum fraudet ho-  
 nore,  
 Quorum digna piæ nomine vita nitet?

Nil

Nil ipfis prodest defunctis nænia laudans;

Nil prodest aliis! Absit & hocce putes!

Ire per exempli vestigia lucida præstat;

Funeris o quantum gloria calcar habet!

## XXII.

### Poesis epistolicæ suavitas.

**G**rammata quis renuat cupidis prensare  
lacertis,

Carmina quæ scripsit scribere docta manus?  
Afficit o quantum perdulcis epistola men-  
tem,

Proponens metrico mellea verba stylo!

Grammata prosaice, sapient ceu mellea,  
scripta,

Hæc neclar superant ambrofiasque dapes!

## XXIII.

### Poesis vaticinæ raritas.

**A**Uguris an differt nomen nomenque  
poëtæ?

Auguriique decus culta poësis habet.

Rarius augurii voces cantate, poëtæ,

Neu pereat vanæ laudis inane decus!

Fallitne augurium toties totiesque poëtas?

Consonat heu! fatuum fatidicumque me-  
los!

## XXIV.

## Poesis extemporaneæ dignitas.

**E**st aliquid, tersos lente conscribere versus;  
Est aliquid, breviter præmeditando loqui.  
Versus versum edit, crepitante fugacior  
imbre;

Quantum est, sic animo non meditante  
loqui!

Naturæ hoc omnes, omnes transcendere  
vires,

Pernegat, humanæ qui rationis inops!

## XXV.

## Poesis auro præ lauru digna.

**L**Aurigeros coluit vates lex Cæsaris olim  
Decernens doctis florida ferta viris.

Laurea contemnit præsens hæc munera  
seclum,

Decrescit vatum lauriger inde chorus!

Laurea si Cæsar mutaret in aurea dona,  
Quanta poëtarum turba novella foret!

## XXVI.

## Poesis de pane lucrando.

**S**i prodesse volunt, Flacco perhibente, poëtæ,  
An prosint aliis, quæritur anne sibi?

Car-

Carmina non cudens , excudens carmina ,  
credit ,

Edita quod prosint carmina multa sibi .

Hunc,hunc obleat de pane lucrando poësis ,  
Argento loculos accumulando suos !

## XXVII.

### Poesis castæ encomium.

**E**T Fescenninos sanam ructare poësin  
Num decet & sordes , spurce Catulle ,  
tuas ?

Obscenos obscena juvent ; cane pejus &  
angue

Odit spurciem vena pudica styli .

Carmine quæ casto castos decantat amores ,  
Hæc sola elogium , casta poësis , habet !

## XXVIII.

### Poesis sordidæ vituperium.

**T**Ractandam sancte casteque poësin ha-  
bendam

Spurci eheu ! vates commaculare student !

Has , credunt , sordes sordes purgare Poëtæ :

*Lasciva est nobis pagina , vita proba !*

Sordibus o geminis spurci procul ite poëtæ ;  
Næ ! vitam castam verbaque casta decent .

## XXIX.

## Poesis ethnicæ detestatio.

**A**Usitne & Divos divasque vocare poësis  
Christicolum, cœci Numinæ cœca gregis?  
Ite hæc Divorum Divarum & monstra cre-  
pantes,

Queis nimium tepidus relligionis amor!  
Ethnica florescant hoc prata poëtica flore;  
Talia Christicolum lolia nescit ager!

## XXX.

## Poesis adulterinæ rejectio.

**C**Edite ter pulchra non digni voce poëtae,  
Prisca poëtastræ quos monumenta vo-  
cant!

Non, quia furtiva turget melligine fucus,  
Mellificantis apis nomen & inde gerit;  
Non, quod & humanos mentitur simia vultus  
Nomen & humanum bestia turpis habet!

F I N I S.

S. D. G.

